ZRI
1703

ILLUSTRISSIMO, ET REVERENDISSIMO

DOMINO

D. THOMÆ

EX COMITIBUS

DE GHERARDESCA

EPISC. FESULANO, ET TURICHIJ

COMITI

Se ſuamque Theologiam,

FR. VINCENTIUS MARIA FORTUNATI

In Conventu S. Marci de Florentia ſtudentium formalium minimus.

D. D. D.

FLORENTIÆ, MDCCIII.

Apud Michaelem Neſtenium. Superior. licentia.

ILLUSTRISS. ET REVERENDISS. PRÆSUL.

INtèr novos populorum plausus, quibus quotidiè tuo muneri gratulatur Ethruria, dedecoris certè periculo damnaretur meę mentis exilitas, nì tuis & ipsa pedibus cederet provoluta. Debitum implevisse gloriarer, sì tuo Nomini Sapientiam consecrans, muneris amplitudinem solventis tenuitas non imminneret: Sèd & hoc tuum est, parva, quæ recepis in magna statìm attollere, & quæ alieno vilescunt nomine, tuo consecrare. Meæ profectò placuit necessitati debiti professione, & decus, & patrocinium fortiri: Sèd jurè tali præsidio superbit ipsa necessitas, & tanto nomine, etsì non suo jàm exultat. Quandonàm illustrius tenui menti decus inquirerem, si à novo Præsule non sperarem? Hortatur in dies continuus hominum plausus, qui in au-

ſpicijs novi Pontificatus exultant, & talem ſibi datũ ſe in hac rerum calamitate voce, geſtu, animo triũphant. Senſerant Feſulæ Paſtoris viduitate inſitum vulnus, & ſtrenuà mæroris atte dolebant; ſed tui renunciatione allatà, vidiſſes ſubità luce vultus illuſtres, & mutaſſe lacrymas in gaudia, àn & gaudia in lacrymas dicam. Feſulis Roma gratulatur, & utriuſque plauſu Florentia geſtiens,gaudet, & quod aliis Præſulem donet, & quòd retineat. Certè in multis ea vis fuit, & meritò, nàm Senior illa fama virtutum tuarum jàm antè sìc invaluerat, ut ſuffragia quidèm Romani Antiſtis inſignia hujus honoris contulerint, ſed vota omnium deſtinarint. Rara fælicitas iudiciis Dignitatem poſſidere, antèquàm Infulis præferre,& cenſeri Pontificem,nondùm eſſe. O magna vis virtutis, quæ eò vocabat, quò Deus, & merita jàm ducebant. Cum nova ſibi ſit Dignitas meritum, ex meritò jàm es adeptus,& Dignitatem. Grande eſt fateor adipiſci honores, grandius promereri; & licèt ſit arduum, quæ ſunt in hominum manu conſequi, conſequi ex virtute glorioſius. Hęc itàque & ipſe debentis Animi intèr obſequia dum verſor, meę quòque gratulor Theologiæ, quæ tantùm invenerit Ducem, tantùm impetraverit beneficium. Sereno itàque vultu, utì ſoles, ingenii mei Munuſcula ſuſcipe, & licèt alii offerre poſſint magnificentius, ſcias quod egò nihil poſſum amantius. Vale.

Addictiſſimus, & Obſeq. famulus
F. Vincentius Maria Fortunati.

CONCLUSIONES THEOLOGICÆ

AD MENTEM ANGELICI PRÆCEPTORIS

DIVI THOMÆ AQUINATIS.

EX PRIMA PARTE.

DE SACRA DOCTRINA.

I.

PRæter Philosophicas disciplinas, necessaria est hominibus doctrina alia supernaturalis, ac divinitus inspirata.

II.

Sacra Theologia etiam prout est in nobis viatoribus est verè, & propriè Scientia, Scientiæ Dei, & Beatorum subalternata.

III.

Licet de multis tractet, est tamen una specie atoma.

IV.

Eminenter formaliter est simul speculativa, & practica, & omnibus Scientiis naturalibus dignior, ac certior.

V.

Quia per altissimas causas, & principia procedit maxime Sapientia dicitur.

VI.

Illius obiectum formale, & specificatiuum est Deus sub ratione Deitatis, ut cadit sub Divina revelatione virtuali.

VII.

VII.

Eſt habitus entitativè naturalis, licet extrinſicè, & obiectivè ſupernaturalis ſit.

VIII.

Tandem eſt Scientia argumentativa.

DE DEO, ET ATTRIBUTIS.

I.

Iſta propoſitio *Deus eſt* eſt per ſe nota ſecundum ſe, non tamen quoad nos.

II.

Undè à nobis demonſtrari poteſt, non quidem à priori, & per cauſam, ſed à poſteriori, & per effectus à Deo productos.

III.

Hinc de facto optimè demonſtratur à D.Thomâ quinque rationibus in articulo tertio quæſtionis ſecundæ primæ Partis, relatis.

IV.

Nequit dari ignorantia invincibilis, & inculpatibilis de exiſtentia Dei.

V.

Divinam naturam formaliter, & metaphiſicè, non per infinitatem, vel per aſſeitatem, ſed per intelligere conſtitui defendimus.

VI.

Obiectum formale tàm motivum, quàm terminativum Divini Intellectus dicimus eſſe Eſſentiam Divinam, relationes verò, & attributa tamquam modos obiecti primarij recognoſcimus, Creaturas autem ſolummodò obiectum ſecundarium aſſerimus.

VII.

Attributa Divina, tàm inter ſe, quàm ab Eſſentia diſtinguuntur virtualiter, & per rationem, non verò realiter, aut diſtinctione formali ex natura rei.

VIII.

VIII.

Deus est omnino simplex, omnisque compositionis expers.

IX.

In ipso sunt omnium rerum perfectiones, aliæ quidem eminenter formaliter, aliæ solùm virtualiter.

X.

Solus Deus est summè bonus, & simpliciter infinitus, neque aliud quodcumque à Deo infinitum simpliciter esse potest.

XI.

Ratione suæ immensitatis est in omnibus Creaturis, ratio tamen formalis huius præsentiæ est operatio virtualiter transiens eiusdem Dei, qua creaturas in esse conservat, & producit.

XII.

...us est omnino immutabilis, & æternus.

DE VISIONE BEATIFICA.

I.

Est possibilis Visio Dei per essentiam, hæc tamen possibilitas non est naturaliter, & præcisa fide, demonstrabilis.

II.

Non datur in homine appetitus innatus, nec naturalis efficax, sed tantùm inefficax ad claram Dei visionem.

III.

Implicat substantia supernaturalis cui sit connaturale lumen gloriæ, & cætera accidentia supernaturalia.

IV.

Implicat, etiam oculum corporeum, & quamlibet aliam potentiam sensitivam elevari ad videndum Deum, tàm visione spirituali, quàm materiali.

V.

V.

Non datur potentia obedientialis proximè, & immediatè activa effectuum supernaturalium rebus creatis à natura congenita.

VI.

Ita lumen gloriæ est necessarium ad videndum Deum, ut nec de potentia Dei absoluta possit Intellectus creatus videre Deum sine Lumine, quod est tota virtus proxima, & immediata producendi visionem.

VII.

Species impressa Dei distincta ab essentia Divina, nec datur de facto, nec de possibili, implicat etiam videri unam perfectionem sine alia.

VIII.

Creaturæ secundum esse quod habent in seipsis videntur à Beatis in Deo tamquam in Causa, & medio prius cognito.

IX.

Beati vident omnia materia fidei nostræ, sicut etiam præcipuos eventus pertinentes ad proprium statum, & hoc in primo instanti suæ Beatitudinis, non verò successivè.

X

Visiones Beatorum sunt inæquales, & hæc inæqualitas provenit ex inæqualitate luminis gloriæ, itaut perfectior Intellectus cum æquali lumine non videat perfectiori modo Deum.

XI.

Visiones Beatæ non sunt specie diversæ; Unde Visio Beata hominis non distinguitur specie à Visione Beata Angelorum.

Disputabuntur publicè in Conventu S. Marci de Florentia. Obiectis satisfaciet qui supra, sub assistentia A. R. P. Fr. Ioannis Thomæ Bertolini in eodem Conventu Lectoris Primarij.

Mense *Die* *Hora* *Anni*